



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Corpus Doctrinae Christianae

Melanchthon, Philipp

Lipsiae, 1572

VD16 M 2890

V. De Conivgio Sacerdotvm.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-36094**

præscribunt, cum periculo conscientiae, tanquam istiusmodi opera sint necessarii cultus.

Seruantur tamen apud nos pleræq; traditiones, quæ conducunt ad hoc, ut res ordine gerantur in Ecclesia, ut ordo lectionum in Missa, & præcipuæ feriæ. Sed interim homines admonentur, quod talis cultus non iustificet coram Deo, & quod non sit ponendum peccatum in talibus rebus, si omittantur sine scandalo. Hæc libertas in ritibus humanis non fuit ignota patribus. Nam in oriente alio tempore seruauerunt pascha quam Romæ, & cum Romani propter hanc dissimilitudinem accusarent Orientem schismatis, admoniti sunt ab alijs, tales mores non oportere ubiq; similes esse. Et Irenæus inquit, dissonantia ieiunij, fidei consonantiam non soluit, sicut & Dist. 12. Gregorius Papa significat, talem dissimilitudinem non lædere unitatem Ecclesiæ. Et in historia Tripartita libro nono multa colliguntur exempla dissimilium rituum, & recitantur hæc verba: Mens Apostolorum fuit, non de diebus festis sancire, sed prædicare bonam conuersationem & pietatem.)

V.

D E C O N I U G I O S A -  
C E R D O T V M.

CVM doctrina Christiana honorifice prædicet coniugium, eoq; uti iubeat, non solum procreationis causa, sed etiam ad frænandas virandasq; libidines: nunc non solum pontificia lege, sed etiam noua atq; inusitata sæuitia prohibentur coniugia Sacerdotibus, & contracta dirimuntur. Idq; hoc est indignius, quod hæc in Ecclesia sunt, quæ ut maxime debet abhorrere à turpitudine, ita coniugium ad vitanda multa ingentia flagitia, summo studio tueri debet. Adhæc cum in omnibus Echnicis rebus publicis mediocriter constitutis, propter grauisimas causas, coniugium in magno honore fuerit, quid minus decet in Ecclesia, quam & sanctissimum fœdus coniugij distrahere, aut capitalibus pœnis, velut summum scelus, punire coniugium? vnde hæc in Ecclesiam, in qua debet excellere mutua dilectio, peruasit immanitas? Porro res loquitur ipsa, quantum turpitudinis ac scelerum pariat pontificia lex, de celibatu, Nec vlla humana voce dici potest, quantum vitiorum ex hoc fonte in Ecclesiam exundauerit. Nam ut non dicamus de Epicureis, quos nihil pudet, quam multi pij ac boni viri infelicitate luctati sunt cum imbecillitate naturæ, & ad extremum in horribilem desperationem inciderunt? Quo spectat autem hæc noua crudelitas, nisi ut illa infinita scelera in Ecclesia confirmetur, & ut improbi peccent impunitus? Hæc causa nihil habet opus disputa-

E 4 ratione.



tatione. Nam hæc noua lex, quæ nunc defenditur ab aduersarijs, quæ & prohibet Sacerdotibus coniugia, & contracta diftrahit, pugnat cum iure naturali, diuino, cum Euangelio, cum veterum Synodorum constitutionibus, cum exemplis veteris Ecclesiæ. Tantum opus est nobis pietate & æquitate optimi Imperatoris, quem oramus, vt pro sua pietate, & pro suo officio, abolita tyrannica lege, mederi Ecclesiæ studeat. Cum omnis iniusta crudelitas Deo displicet, tum illa maxime quæ exercetur in Sacerdotes pios & cruditos, qui bene merentur de Ecclesia. Ac non solum diuina oracula minantur atrocissimas pœnas, his qui crudelitatem exercent aduersus Sacerdotes, sed exempla etiam extant omnium ætatum, quæ comprobant illas minas non esse irritas. Nam vt alia innumerabilia exempla omitamus, Gens Benjamin fere tota deleta est propter stupratam hospitis Sacerdotis coniugem. Cum enim cadauer mulierculæ, quæ vexata stupris, extincta erat, dissectum, missum esset ad Principes Israël, iudicauit vniuersus populus, tantam immanitatem seuerissime puniendam esse. Cunque non dederentur ad pœnam autores facinoris, tota gens Benjamin, magna clade accepta, pœnas dedit. At hoc tempore multiplici iniuria afficiuntur Sacerdotes, Ipsi cum quidem nullum eis crimen obijciatur, nisi coniugium, excruciat horribilibus supplicijs necantur, miseræ coniuges & parui liberi eieci suis nidulis, vagantur extorres, sine certa sede, sine recto, sine lare. Paulus vocat prohibitionem coniugij, doctrinam dæmoniorum. Id testantur non solum turpissima vitia, quæ cœlibatus inuexit in Ecclesiam, sed etiam hæc ipsa asperitas, quæ propter hanc legem exercetur in Sacerdotes, & eorum coniuges ac liberos. Nam diabolus homicida est, & piorum calamitatibus præcipue delectatur. Sed olim Deo pœnas daturi sunt talium consiliorum autores. Nos hanc scœuitiam neque dignam Christianis, neque vtilem Ecclesiæ esse iudicauimus.

Quod vero obijcitur autoritas legis Pontificiæ, cur non allegant autoritatem Canonum, aduersus turpia exempla impuri cœlibatus, & scelera digna animaduersione? Nulla debet esse autoritas Pontificij decreti, pugnantis cum iure naturæ, & cum mandato diuino. Natura homines ita conditi sunt, vt sint fecundi, quare Iurisconsulti dicunt, coniunctionem maris & femine esse iuris naturæ. Idque docet Genesis, capite primo & secundo. Deinde, cum Paulus inquit: Vnusquisque habeat vxorem, ad vitandam fornicationem: certe præcipit omnibus, qui non sunt idonei ad cœlibatum, vt contrahant coniugia. Et Christus monet, non omnes idoneos esse ad cœlibatum, cum ait: Non omnes capiunt verbum hoc.

Porro, nec leges humanæ, nec vota valent pugnantia cum mandato diuino, Et euentus ipse testatur, naturam legibus humanis non posse



posse mutari. Videmus quantum turpitudinis pariat ille cœlibatus, Ac si qui sunt viri boni, qui student esse casti, hi intelligunt oneris & periculi magnitudinem, & præcipue deplorant hanc sui ordinis seruitutem. In Nicena Synodo quidam conati sunt legem ferre, vt Sacerdotibus interdiceretur consuetudine coniugum. Repudiata est hæc lex ab yniuersa Synodo. Et fuit quondam mitior Latina Ecclesia, Tantum enim dimittebat à ministerijs eos, qui cum gererent munus Ecclesiasticum, ducebant vxores, non prohibuit coniugium. Hæc noua lex est Pontificum, ignota veteri Ecclesiæ ac Synodis, quæ in totum prohibet coniugia, & contracta diftrahit.

Constat autem vtranzq; partem huius decreti pugnare cum Euan-gelio. Allegatur contra nos Ecclesiæ & Synodorum autoritas, quam Pontifices ipsi huius decreti autores impudenter contempserunt. Nec obicere reclamauerunt pij Sacerdotes huic nouæ legi. Nam historiz Ecclesiasticæ testantur, eam non sine acerrimis certaminibus impositam esse Ecclesijs. Tarraconensis Episcopus scribit ad Syricium Pontificem, Sacerdotes Hispanos non posse adduci, vt legem accipiant, qua interdiceretur eis consuetudine vxorum, Quas ibi tragædi-as agit Syricius, quam inclementer rescribit?

Hæc enim sunt Syricij verba, indigna Pontifice: Dicat mihi nunc ille, quisquis est, sectator libidinum, præceptorq; vitiorum, Et deinde Pauli dictum alienissimum, detorquet ad suam causam, Qui in carne sunt, placere Deo non possunt. Dubium profecto est, vtrum inscitiz an impudentiz ascribendum sit, quod tam contumeliose loquitur de coniugio. Nihil enim agebatur aliud, nisi vt interdiceretur Sacerdotibus vsu coniugum, quas tunc habebant. Deinde posteriores Pontifices multo etiam duriores fuerunt. Cum decretum Pontificium de abijciendis vxoribus in Germania recitaret Synodo Archiepiscopus Moguntinus, ita exarserunt ira Sacerdotes, vt minarentur se impetum facturos in ipsum Archiepiscopum. Et erat res cum indigna, tum acerba, abijcere præsentis coniuges, sed vicit tandem, vel vis vel superstitio. Quanto mitior fuit Cyprianus mulieribus, quæ non seruabant promissam castitatem? Scribit enim libro primo Epistola vndecima: Si perseuerare nolunt aut non possunt, melius est vt nubant, quam vt in ignem delicijs suis cadant, certe nulum fratribus aut fororibus scandalum præbeant.

Porro iniustæ leges non solent esse perpetuæ. Rogamus igitur optimum Imperatorem, vt inter cætera Ecclesiæ incommoda, etiam huius legis vitia consideret, qua in re & illud considerandum est: Natura ipsa hominum veluti senescit, & fit imbecillior, Quare prouidendum est, ne vitia crescant. Nec debent leges ipsæ semina esse vitiorum. Plato grauissimè dicit, leges virtutis causa



ferendas esse. An autem traditio de cœlibatu, pietatis causa propugnatur, aut alio quodam consilio, non difficile est iudicare. Postremo, cum Christus præcipue commendauerit pijs curam ministrorum Euangelij, rogamus, vt optimus Imperator, scuitiam prohibeat, quæ diu iam in homines pios Sacerdotes exercetur, ac cum Ecclesia potius deliberet, quam cum aduersarijs nostris. Debent in Ecclesia excellere dilectio & misericordia. Quare maxime abhorret vera Ecclesia à crudelitate non necessaria, nec vult interfici Sacerdotes propter tyrannicam traditionem, Parci etiam vult miseris mulieribus ac liberis Sacerdotum. Horum omnium vitam ac salutem, Ecclesia tibi, clementissime Imperator, commendat, Omnes pij vbiq; terrarum afficiuntur horum calamitatibus, & taciti desiderant Christianam lenitatem in hoc negotio, tibiq; communibus lacrymis doctos & bonos viros, Ecclesiæ vtiles, & horum coniuges ac liberos commendant, quem vident & natura præditum esse eximia quadam & heroica bonitate, & in hac causa, hæctenus singulari vsum esse moderatione, quæ quidem significat te de repub. rite sananda deliberare. Non vult Ecclesia, te alienæ crudelitatis ministrum fieri. Maximus honor est regum, quem tribuit eis Esaias, cum inquit, eos debere Ecclesiæ nutritos esse, hoc est imperia, defensionem pacis, & humanæ societatis, non solum corporali vtilitati seruire, sed etiam adiuuare Euangelium, cum videlicet & regunt sacerdotes, & tranquillitatem ciuitatibus concedunt vt institui ad religionem iuuentus, & doceri homines possint. Rogat igitur Ecclesia, vt memineris tibi pios Sacerdotes, tanquam alumnos tuendos esse, Tuum munus est, innocentie præsidio esse, depellere iniurias, præcipue ab imbecillibus, qui se tueri non possunt ipsi, à pijs mulieribus, à puericia, ab orphanis. In his etiam Sacerdotum coniuges & liberos, qui vere sunt orphanis, tibi commissos esse diuinitus existimes.

Ecclesia vel maxime φιλόσοφος est, & non modo coniugum inter se caritatem, parentum erga liberos amorem, probat: sed afficitur etiam ipsa, desertorum atq; orphanorum ærumnis. Ac vero in tanta bonitate naturæ tuæ, nihil esse ἄσογγον iudicat, quare sperat tibi quoq; dolorem asserre Sacerdotum neces ac supplicia, coniugum & liberorum exilia. Monet illud etiam Ecclesia, vt prouideas, ne pleriq; doctrinæ Christianæ loci, quorum necessaria est explicatio, simul opprimantur, dum pie eruditi interficiuntur, dum excutiuntur hominibus studia doctrinæ Christianæ. Quid agunt aduersarij aliud, nisi vt deleatis omnibus literis, & oppressa doctrina, tantum pendeant homines ex autoritate illorum, qui dominantur, somnia indoctorum quamlibet impia, quamlibet absurdæ,



furda, ducant esse oracula; Hanc barbaricam seruitutem, existimant aduersarij prodesse dominationi suæ, Nec obscure multis in locis iam hac seruitute iacet oppressa Ecclesia. Etsi autem non est concedenda licentia, conuellendi sententias vera autoritate receptas, nec discendum est, vel à scripturis, vel à decretis veterum Synodorum, in quibus pronuntiarunt de doctrina Christiana: tamen non decet autoritatem Ecclesiæ prætexere omnibus abusus ac vitijs, quæ recentior ac deterior ætas in Ecclesiam inuexit. Nimum autem blandiuntur sibi homines, si nihil vitij deriuatum esse putant in Ecclesiam, ex affectibus hominum cupidorum, ex illis labyrinthis & tenebris doctrinæ scholasticæ, & traditionum. Neq; vero tam propter coniugium periclitantur hoc tempore boni viri, quam propter studium repurgandæ & illustrandæ doctrinæ Christianæ, quod regere ac iuuare Episcopi debebant. Nam his præcipue commendata est cura ornandæ & defendendæ doctrinæ, hi debent esse huius sanctissimi & vtilissimi studij gubernatores & hortatores.

Sed non ad solos Episcopos, verumetiam ad pios principes, ac maxime ad Imperatorem pertinet, pure intelligere Euangelium, diiudicare dogmata, aduigilare, ne impiæ opiniones recipiantur aut confirmetur. Idololatriam omni studio abolere. His officijs præclare meriti sunt de pijs multi magni heroës, Gedeon, Ezechias, Iosias, Constantinus, & pleriq; alij. Quare existimabis & tui officij esse, cauere ne obruantur ea, quæ pie & vtiliter patefacta & emendata sunt à bonis & doctis viris, ne impij abusus autoritate tua stabiliantur. Psalmus inquit: Propter templum tuum in Ierusalem, reges offerent tibi munera.

Sunt autem propria Regum munera in Ecclesiam conferenda, inquirere veram doctrinam, & curare, vt boni doctores præficiantur Ecclesijs, dare operam, vt rite diiudicentur Ecclesiasticæ controuersiæ, non delere piam doctrinam, sed excitare potius ac propagare & defendere, concordiam Ecclesiæ recte constituere & tueri. His veris muneribus potes nunc optime Imperator ornare Christi Ecclesiam, quæ quidem à te præcipue, & Christus requirit ipse, & petunt Ecclesiæ horribilibus modis laceratæ. Postremo, cum humanæ traditiones cedere debeant temporibus, maxime in Ecclesia, in qua longe pluris fieri debent, salus piorum, dilectio, & pax publica, quam vllæ traditiones humanæ, multo satius est dissimulare abrogationem huius traditiunculæ de cœlibatu, quam confirmare libidines, dissipare coniugia, suscipere sæuitiam in Sacerdotes & eorum coniuges ac liberos, opprimere piam doctrinam, vilitatem efficere in Ecclesijs.

Hanc



Hanc igitur coniugij causam, quoniam nihil habet obscuri, pietati & bonitati tuæ Imperator commendamus. Nam iniustam legem abolere gubernatores & possunt & debent. Et leges de cœlibatu seu veteres, seu nouæ, tantum sunt humani iuris, in quo mitigando, plurimum auctoritas Ecclesiæ valere debet.

Quam multa possemus exempla commemorare ex omnium temporum ac gentium historijs, in quibus cernuntur horrenda exempla pœnarum, quæ libidines secuta sunt. Inter causas diluuij fit mentio libidinum, postea quinque vrbes hiati terræ ita absorptæ sunt, vt monumentum pœnæ æternum, lacus Asphaltites manserit. Cum Israëlita discessissent ex Aegypto, & multi se consuetudine mulierum Moabiticarum polluisent, duodecim Principes Tribuum suspensi sunt, & trucidata viginti quatuor millia hominum. Funditus postea deleti Cananæi, & nominatim inter causas, recensentur incesti concubitus. Aliquanto post secuta est clades Benjamin, propter stupratam Leuitæ coniugem. Deinde Dauid eiectus régno propter adulterium. Aliquoties & Ieremias hæc tria, Idolorum cultus, tyrannides, & adulteria, causas esse clamat ingentium calamitatum, quæ oppresserunt vniuersam gentem Iudæorum, cum in Babylonem captiua abduceretur.

Hæc eoque scripta sunt, vt statuamus Deum vere irasci vagis libidinibus, & impuros ac incestos non casu in pœnas ruere, sed puniri diuinitus: Ergo etiam Ethnicarum ciuitatum excidia, nos de ira Dei aduersus hæc scelera admonent. Euersa est Sibaris, Athenæ, Sparta, Thebæ collisæ bellis ciuilibus pœnas impuditiæ dederunt, Et Roma cum tot Nerones & Heliogabalos habuisset, tandem concidit, vndique dilacerato imperio, armis Barbaricarum gentium plurimarum. Longus catalogus est & apud Aristotelem, ciuitatum, in quibus mutationes politiarum, & seditiones propter libidines exiterunt. Præter has pœnas admonet Ecclesiam Paulus, accedere aliam pœnam, videlicet, amentiam seu furorem, vt Roma. 1. & ad Ephes. 4. capite scribitur. Ac fortasse iam gubernatores Ecclesiasticos, hæc pœna oppressit, qui magna ex parte palam sunt Epicurei, palam defendunt idola propter opes & auctoritatem, rident dicta cœlestia, quæ minantur pœnas Idolorum cultoribus, impudicis, parricidis. Omnia honeste fieri à se prædicant regni causa, hos esse bonos ciues, amantes tranquillitatis, qui vt regni Pontificij maiestatem tueantur, comprobant errores & manifesta flagitia. Tota rerum natura testis est esse Deum, & punire turpitudines, & tyrannides. Quare etiam si nunc rident has conciones, tamen sciant se aliquando hæsurus in pœnis, ad quas ab ipsa etiam rerum natura deposcuntur.

Cum igitur constet, legem de Cœlibatu pugnare cum mandato Dei,



Dei, sentimus recte facere Sacerdotes, & alios, qui honesta coniugia contrahunt, sicut Paulus inquit, Eligendum esse vnius vxoris virum. Sentimus & gubernatores posse ac debere legem Pontificiam abolere. Errant enim, qui putant aut iure diuino prohiberi coniugium Sacerdotibus, aut posse legem talem à Regibus aut Episcopis ferri, prohibentem coniugium. Ac si nolint Ecclesiae mederi gubernatores, tamen recte faciunt pij, qui sequuntur regulam Apollolicam, quæ ait, Deo magis parendum esse quam hominibus.

Deniq; cum legis Pontificiæ defensio multa peccata coniuncta habeat, confirmationem vagarum libidinum, superstitiones, & neces piorum Sacerdotum, manifestum est nostras Ecclesias recte facere, quod legem illam Pontificiam abolent ac damnant. Rogamus etiam inclytum Imperatorem, ne se defensione impuri cœlibatus, & eadē Sacerdotum polluat. Scriptum est enim: Beatus qui miseretur egeni & pauperis, in die mala laborabit eum Dominus.

*Hunc Articulum reperimus alibi collocatum secundo loco inter eos, quibus recensentur abusus mutati.*

D E C O N I U G I O S A -  
C E R D O T V M .

¶ PUBLICA querela fuit de exemplis Sacerdotum, qui non continebant. Quam ob causam & Pius Papa dixisse fertur, fuisse aliquas causas, cur ademptum sit Sacerdotibus coniugium, sed multo maiores esse causas cur reddi debeat, sic enim scribit Platina. Cum igitur Sacerdotes apud nos publica illa scandala vitare vellet, duxerunt vxores, ac docuerunt quod liceat ipsis contrahere matrimonium. Primum, quia Paulus dicit: Vnusquisq; habeat vxorem suam propter fornicationem. Item: Melius est nubere, quam vri. Secundo, Christus inquit: Non omnes capiunt verbum hoc, vbi docet non omnes homines ad cœlibatum idoneos esse, quia Deus creauit hominem ad procreationem, Genes. i. Nec est humanæ potestatis sine singulari dono & opere Dei, creationem mutare. Igitur qui non sunt idonei ad cœlibatum, debent contrahere matrimonium. Nam mandatum Dei & ordinationem Dei, nulla lex humana, nullum votum tollere potest. Ex his causis docent Sacerdotes, sibi licere vxores ducere. Constat etiam in Ecclesia veteri, Sacerdotes fuisse maritos. Nam & Paulus ait: Episcopum eligendum esse qui sit maritus. Et in Germania primum ante annos quadringentos, Sacerdotes vi coacti sunt ad cœlibatum, qui quidem adeo aduersati sunt, vt Archiepiscopus Moguntinus publicaturus edictum Rom. Pontificis de ea re, peccata ab iratis Sacerdotibus per tumultum oppressus sit. Et res gesta est

tant



tam inciuiliter, vt non solum in posterum coniugia prohiberentur, sed etiam presentia, contra omnia iura diuina & humana, contra ipsos etiam Canones, factos non solum à pontificibus, sed à laudatissimis Synodis, distraherentur.

Et cum senescente mundo, paulatim natura humana fiat imbecillior, conuenit prospicere, ne plura vitia serpent in Germaniam. Porro Deus instituit coniugium, vt esset remedium humanæ infirmitatis. Ipsi Canones veterem rigorem interdum posterioribus temporibus, propter imbecillitatem hominum laxandum esse dicunt, quod optandum est vt fiat & in hoc negotio. Ac videntur Ecclesijs aliquando defuturi pastores, si diutius prohibeatur coniugium.

Cum autem extet mandatum Dei, cum mos Ecclesiæ notus sit, cum impurus cælibatus plurima pariat scandala, adulteria, & alia scelera digna animaduersione boni Magistratus: Tamen mirum est, nulla in re maiorem exerceri sèuitiam, quam aduersus coniugium Sacerdotum. Deus præcepit honore afficere coniugium. Leges in omnibus rebuspub. bene constitutis, etiam apud Ethnicos maximis honoribus ornauerunt. At nunc capitalibus poenis excruciantur, & quidem sacerdotes, contra Canonum voluntatem, nullam aliam ob causam, nisi propter coniugium. Paulus vocat doctrinam dæmoniorum, quæ prohibet coniugium, 1: ad Timoth. 4. Id facile nunc intelligi potest, cum talibus supplicijs prohibitio coniugij defenditur.

Sicut autem nulla lex humana potest mandatum Dei tollere, ita nec votum potest tollere mandatum Dei. Proinde etiam Cyprianus suadet, vt mulieres nubant quæ non seruant promissam castitatem. Verba eius sunt hæc libro 1. Epistola 11. Si autem perseverare nolunt, aut non possunt, melius est vt nubant, quam vt in ignem delicijs suis cadant, certe nullum fratribus aut sororibus scandalum faciant. Et æquitate quadam vtuntur ipsi Canones erga hos, qui ante iustam ætatem vouerunt, quomodo fere hætenus fieri consuevit.)

## V I.

## DE VOTIS MONACHORVM.

**Q**UID de votis Monachorum apud nos doceatur, melius intelliget, si quis meminerit qualis status fuerit Monasteriorum, quam multa contra Canones in ipsis Monasterijs quotidie fiebant. Augustini tempore erant libera collegia, postea corrupta disciplina, vbiq; addita sunt vota, vt tanquam excogitato carcere, disciplina restitueretur: Addita sunt paulatim supra vota, aliæ multæ obseruationes. Et hæc vincula multis ante iustam ætatem, contra Canones iniecta sunt. Multi inciderunt errore in hoc vitæ genus, qui